

1
2
3
4
5



1731.

1. Cramerus, Joh. Ulrich: De optima jura docendi
methodo. Program, quo academicae civis et lectiones
~~publ.~~ publ. invitat.
2. Cramerus, Joh. Ulrich: De pacto hereditario remu-
giatione filiae nobilis. 2 Saempl.
3. Waldschmidt, Joh. Wilhelm: De publica caelitia ob
presentiam imperantis summi.

1732.

1. Cramerus, Joh. Ulrich: De restitutione spoliati
a summo bone fidei possessore. . . . Pro-
gramm, quo lectiones privatae intimat
2. Cramerus, Joh. Ulrich: De partibus aequalibus
in lucro et damno sociorum spectandis. . . .
Programm, quo lectiones privatae intimat
3. Haskmannus, Joh. Nephtem: De authenticis scripturae
sacrae ex rationis humanae principis abstracta.
4. Neufville, Fredericus, de: De corpore delicti
5. Pape, Franciscus Antonium Theom.: De successione
foeminarum in feudis

1733.

1. Cramerus, Joh. Ursinus: Programma calculo Numer
vae suo terminos vindicans, quo ~~tot~~ lectiones
privatas . . . intimat
2. Cramerus, Joh. Ursinus: De aequitate quatuor
tatis solutis viduarum Illustrationem et nobi-
lissimam. Programma, quo lectiones privatas intimat.
3. Cramerus, Joh. Ursinus: De jurisconsulto inven-
tore. Oratio. Accessit Christianus Wolfius:
Epistola gratulatoria de utilitate artis inve-
niendi in systema redigendae
4. Hartmannus, Joh. Adolphus: Inventionem Dei a prio-
ri demonstratur
5. Hartmannus, Joh. Adolphus: De officio judicis
circa penae aut testium amissionem.
6. Muehause, Johannes Henricus: De testamentis privi-
cipum
7. Wolfius, Christianus: Num utile sit, artem inve-
niendi, in systema redigi. ? Epistola gratulatoria
ad Joh. Ursinum Cramerum.

1734

1. Cramerus, Joh. Ulricus: De eo, quod iustum est
circa uotorum dissipationem. Programma, quo
lectiones privatae intimat.
2. Cramerus, Joh. Ulricus: De dignitate criminis
Linnociae et Linocis Magi. Programma, quo
proselectiones privatae intimat.
- 3^{9^{to}} Cramerus, Joh. Ulricus: De jure principis
ante eundem ueniam aetatis & Regem.
- 4^{9^{to}} Cramerus, Joh. Ulricus: De pacto filiae nobilis
hereditatis remuneratae reservatio.
5. Haschnauer, Joh. Adolph: De concordatis nationis
Germanicae.
6. Hornbergk, Wilh. Frid.: De concursu praesum.
Hunorum

1735

1. Cramerus, Joh. Ulricus: De laesione enormi.
recte computanda.
Programma, quo lectiones privatae intimat.
2. Cramerus, Joh. Ulricus: Coniunctio imperii Romani

cum regno Germanico sub Ottone I. Programma, quo
praelectiones et Novus compendium juris publici
intimantur.

1733

3. Hamm, Bernhardus, ab: De ratificatione confessio-
nis in tormentis factae.
4. Hönig, Sigismund Frideric: De jure consuetudin-
is.
5. Seyfried, Jakob Simon: De jure primogeniturae
consuetudine introducto.

G. 28. num. 11. 79.

7
JOH. ULRICI CRAMERI, 5

J. U. ET PHIL. D. AC IN ACADEMIA MARBURGENSI
PROF. JURIS EXTRAORDINARIUM, 1732, 1.

PROGRAMMA

RESTITUTIONEM
SPOLIATI

ADVERSUS

BONÆ FIDEI POSSESSOREM

VI

NOTIONIS EXCEPTIONIS

ARCENS

ET

JURIS CANONICI INTELLECTUM

INVESTIGANDI AC PERSCRUTANDI MODUM

IDEA QUADAM EXEMPLARI

INSINUANS,

QUO

LECTIONES PRIVATAS JURIS
CANONICI

INTIMAT.



MARBURGI CATTORUM,
TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, ACAD. TYPOGR.



Quidem ex communi Canonistarum & Legistarum interpretatione restituti spoliati contra tertium bonæ fidei possessorem res est aperta & expedita. Quodsi tamen ipsos textus æqua mentis lance pensites, magna insuperabilium nascetur difficultatum seges, ubi eandem tueri volueris. Vulgo affirmant Interdicto unde vi spoliatum saltem restitui contra spoliatorem: per c. sæpe contingit X. de restitut. spoliat. adversus malæ fidei possessorem, per c. autem redintegrandi 3. C. 3. q. 1. adversus quemcunque etiam bonæ fidei possessorem spoliati dari restitutionem (a) Unde Doctores Pragmatici, quos inter BERLICHIVS atque MEVIUS primas tenent, canonem istum tanquam capitulo pinguius remedium advocatis commendare sueverunt (b). Enimvero etsi pervulgata usuque fori recepta hæc sit opinio (c); non tamen cum ipsis textibus Juris Canonici neque cum circumstantiis historicis, neque cum sana ratione concordat: quibus tamen omnibus convenit contraria sententia, perspicacioribus probata veluti GOEDDÆO (d)

A 2

FA-

(a) Canonistas ut & Legistas qui ita sentiunt, late adducit Berlich. p. 1. concl. pract. 21. n. 20. (b) idem c. l. n. 5. Mevius P. VIII. Dec. 383. (c) de quo testatur Mynsinger cent. 3. obs. 85. (d) p. 3. Disp. 8. ad ff. th. 18.

FACHINÆO (e) GAILIO (f) CHLINGENSPERGERO (g) HUBERO (h) SANDIO (i) aliisque. Atque id est, quod jam ad liquidum perducere in animum induxi. Illud extra omnem aleam positum est, Interdictum unde vi restitutionem spoliati seu vi dejecti ad solum dejicientem restringere, neque adeo tertium possessorem eodem conveniri posse. Diserte enim PAULUS (k), *cum a te vi dejectus sim*, inquit, *si Titius eandem rem possidere cæperit: non possum cum alio, quam te-cum interdicto experiri*. Nec latet hujus interdicti ratio: eandem enim ULPIANUS suppeditat, asserens (l): *interdictum hoc atrocitatem facinoris in se continere*. Ex quo apparet ipsum niti principiis politicis generalibus. Etenim in Republica Judices constituuntur, qui de causis controversis cognoscunt & decernunt, ne quis sibi ipsi jus diceret, atque istiusmodi privatis rixis utrinque in plures malorum occasiones multiplicatis publicam turbaret tranquillitatem. Non enim Apollinis magis verum atque hoc PAULI (m) responsum est: *Singulis concedendum non esse, quod per Magistratum publice possit fieri, ne occasio sit majoris tumultus faciendi*. Quamobrem si quis id, quod deberi sibi putat, non per judicem reposcit, sed alteri propria autoritate aut vi quadam aufert, is facinus committit: cujus atrocitas cum detestanda veniat, æquum visum est Prætori eum nihil egisse; adeoque vi possessione dejectum in eandem adversus dejicientem seu spoliatorem restitui, ut perinde sit ac si dejectus non fuisset, factaque hae restitutione jus, si quod habet, dejiciens in foro legitime persequatur. Quoniam itaque Prætor restitutionem spoliati urget, ne cui prosit facinus suum, ideo quoque suo interdicto spoliato tantum subvenit adversus dejicientem seu spo-

(e) l. 8. Controv. c. 12. (f) l. 11. obs. 75. n. 17. (g) Tit. de Interdict. q. 27. ad 2. (h) in Præl. Jur. Civ. ad Tit. ff. de vi & vi armat. (i) Decis. Frn. l. 5. t. 4. Def. 1. p. m. 125. (k) l. 7. ff. de vi & vi armat. (l) l. 5. §. 43. ff. d. l. (m) l. 176. ff. de R. J.

spoliatorem. Neque idem adeo salvis principiis Juris citra legis auctoritatem ad possessorem tertium extendi potest. Quod enim **ULPIANUS** (n) in genere de interdictis affirmat, quod, licet videantur in rem concepta, vi tamen ipsa personalia sint, id singulari ratione patet in interdicto nostro. Etenim tranquillitas societatis civilis urget idem adversus dejicientem seu spoliatorem ob facinus non tolerandum; adeoque actio tantum datur adversus eum, qui facinus commisit, consequenter personalis est. Jam vero personalis actio cum re non transit ad alium possessorem *per vulgata*. Ergo nec hoc Interdicto uti licet adversus tertium possessorem; consequenter spoliatus adversus illum ex eodem restitui nequit. Et sane adversus solum dejicientem interdicto unde vi usi sunt ipsi Pontifices in causis ecclesiasticis. Exemplo nobis est **INNOCENTIUS III**, qui **A. 1200**. ex eo, quod quis non spoliaverit, nec mandaverit spoliari, nec spoliationem ratam haberet, decidit (o) interdictum unde vi locum nullatenus habere. Atqui tertius possessor nec ipse spoliavit, nec spoliationem mandavit, nec ratam habuit *per hypoth.* Ergo nec contra eum interdictum unde vi intentari potest. Illis itaque limitibus arctis interdictum unde vi contineri, intra quos idem coercere visum fuerat Pratori, hoc ipso declaravit **INNOCENTIUS**. Enimvero constat eum Juris Civilis fuisse peritissimum, ita ut idem ante acceptum Pontificatum Bononiae publice doceret. Laudat **ACCURSIUS** passim glosas ejus sub nomine **LOTARII**, quod ipsi privatum ante erat nomen, quam ad summam Pontificis dignitatem eveheretur. Inprimis autem in rationibus Juris Civilis pervestigandis plurimum operæ collocavit, & ad ea decreta sua subtili acumine composuit, ut idem non penetrantibus veluti **JANO a COSTA** (p) rationibus subinde abuti visus; ac ob id proculdubio

A 3

a MA-

(n) l. r. §. 3. ff. de Interd. (o) c. cum ad sedem 15. §. fin. de restitut. spol. (p) in Tit. XXIX. Lib. 1. Summ. p. 143.

a MATHÆO PARISIENSI (q) Jurisperitus audax appellatus fuerit. Studio huic, quod in rationibus Juris Civilis per-
 vatigandis posuit, debetur c. saepe contingit, in quo benefi-
 cio restitutionis spoliato adversus mala fidei possessorem suc-
 currit. Vidimus enim in superioribus Prætores hoc benefi-
 cium spoliato indulgisse adversus spoliatores ob atrocitatem
 facinoris. Jam vero Pontifex ex periculo Anima facinora
 æstimans, non tantummodo ex damno, quod datur Reipubli-
 cæ, quemadmodum fecerat Prætor, non multum interesse
 judicavit, utrum quis injuste rem alienam detineat, an inva-
 dat, quorum hoc patrat spoliator, illud mala fidei possessor,
 utpote qui rem invasam scienter (h. e. sciens illam ab alio
 fuisse spoliatam) recepit. Quodsi itaque ob facinus ferendum
 non est, ut spoliator spoliatum commodo possessionis privet,
 nec concedendum ratus Pontifex, ut mala fidei possessor spolia-
 tum eodem privet. Nervus argumenti ut clarior appareat,
 principia Pontificis expendenda veniunt. Constat inter omnes
 INNOCENTIUM III. strenuum fuisse PETRI LOMBARDI
 defensores, qui etiam referente PLATINA (r) libellum
 JOACHIMI Abbatis Florentis in Calabria, contra Lombardum
 de unitate seu essentia Trinitatis, Concilio Lateranensi
 damnavit, quamvis Abbati ipse Pontifex ALEXANDER III.
 autor fuerit, ut in Magistrum sententiarum scriberet. Fuit
 vero LOMBARDUS Theologiæ Scholasticæ Autor (s) atque
 adeo INNOCENTIO non alia fuere principia, quam eidem
 consona. Ex ejus itaque principiis peccatum mortale est,
 quod quis scienter committit, atque ex eodem animæ dama-
 nationis aeternæ periculum imminet; nisi enim penitentiam agat
 peccator, vi ejusdem damnationem aeternam incurrit. Quo-
 niam;

(q) in Historia Anglorum. (r) de vitis Pontificum p. m. 217. conf. Wolfius
 in Lectionibus memorabilibus cent. 12. (s) vid. Jac. Thomasi de Theologia
 Scholastica, ejusque initio commentatio, in Christ. Thomasi Historia Sap. & Sui-
 cit. T. III. p. 231. seq.

niam igitur malæ fidei possessor scienter detinet rem alienam invaluam; spoliator vero eam scienter invadit; factum utrumque in numerum peccatorum mortalium retulit Pontifex; adeoque idem periculum Animæ ex utroque imminere existimavit. Quare cum Pontifex salutis æternæ Animarum rationem habeat; idque INNOCENTIUS agnoverit & in Decretis suis observaverit, uti elucet ex ipsiusmet scripto de contentu Mundi (t) & PLATINA (u); minime mirum tibi debet videri, cur restitutionem spoliati ob facinus non tolerandum concessam æque adversus malæ fidei possessorem, quam spoliatorem dederit. Suis adeo principiis inhærens non attendit rigorem Juris civilis, qui restitutioni adversus malæ fidei possessorem obstabat; quemadmodum supra evicî. Et si enim juxta principia Juris Civilis absoum videretur actionem personalem ex facinore emergentem cum re ad alium possessorem transire; nil tamen absurdum in se continebat juxta principia Pontificia, vi quorum toleranda non sunt facta ex quibus periculum Animæ imminet; atque adeo quod ob factum non tolerandum cavebatur in uno casu, idem quoque cavendum erat in altero. Et hoc procedere etiam si res spoliata per mille manus transierit, immo possessori bonæ fidei intermedio accepta referenda sit, probe perspexerunt R. R. P. P. ANACLETUS REIFFENSTUEL (vv) & ERN-
RICUS PIRHING (x): quoniam semper idem periculum animæ imminet a quocunque quovis tempore quis rem raptam sciens ipsam esse raptam receperit; ut adeo ipsorum illatio generali nitatur principio, quod posita eadem ratione sufficiente ponatur etiam illud, quod propter eandem potius est, quam non est (y). Enimvero cum rationi Pontificis non amplius locus sit, ubi quis bona fide rem spoliata-
tam

(t) vid. Cave Hist. liter. p. 481. (u) c. l. (vv) in Jure Canonico Universo T. II. L. II. T. XIII. p. 191. n. 23. (x) in Juris Canonici Methodo nova T. II. L. II. T. XIII. §. 13. (y) §. 289. Ontol. Lat. Wolf.

tam possidet, quia bona fidei possessor, utpote infcius spoli non injuste alienum detinet, adeoque a periculo animæ prorsus immunis est, quippe quod actionem vitiosam ex prærefi profectam supponit; spoliatum vi hujus Decretalis adversus b. f. possesorem restitui non posse corroborat principium generale: sublata ratione sufficiente tolli quoque id, quod propter eam potius est, quam non est: quod esse necessarium consequens principii Rationis sufficientis per se patet. Imo rationi prorsus repugnat spoliati adversus tertium b. f. possesorem restitutio: id quod potissimum ex Theoria exceptionum in præfenti demonstrare animo intendi, ut appareat utilitas notionum Philosophicarum quam maxime abstractarum in Jure nostro. Nimirum spoliatus contendit suum esse commodum possessionis ob possessionem antiquiorem, qua injuste privatus est. Ex adverso tertius b. f. possessor idem sibi aserit ob possessionem justam actualem. Uterque intentionem fundat in jure. Ille pro se allegat c. 9. X. de prob. vi cujus antiquior possessio potior esse debet: hic vero c. 65. de R. J. in 6. Colliduntur igitur jura; adeoque ab uno exceptio fieri debet (z): cum utrique simul locus esse nequeat (a). Quæritur itaque a quonam fieri debeat exceptio, ut constet cuinam possessionis commodum sit tribuendum? Demonstravit Philosophus (b), ita fieri debere exceptionem, ut major in toto conservetur perfectio; consequenter in jure minimum læsionis superfit periculum. Quare cum non alia hic metuenda sit læsio, quam ut defectu probationis amittatur dominium; minimum læsionis periculum est, quando minus metuendum, ut Dominus rei litigiosæ dominio suo probationis defectu privetur. Ei igitur tribuendum possessionis commodum, cui, ubi Dominus extiterit, probatio dominii existit difficilior. Jam si novus possessor, qui v. gr. rem a spoliatore emit,

(z) §. 510. Ontol. Lat. (a) §. 4. Inst. de Interd. (b) §. 166. Metaph. Germ.

emit, in bona fuerit fide, se rem a domino emisisse existimans, spoliū factum esse ignoret; consequenter facile apparet, ipsi non esse documenta ad dominium spoliatoris probandum sufficientia, si vel maxime is Dominus fuerit atque adeo ipsi quoque dominium competat. Cum vero spoliatus si sit Dominus plura documenta probandi dominium habere præsumendus sit; probatio quoque, eidem facilior censenda, quam tertio possessori, juris controversi inter spoliatorem & spoliatum prorsus ignaro. Minus adeo periculi est, ut spoliatus, si sit Dominus, defectu probationis dominium amittat, quam ex parte tertii b.f. possessoris, ubi is Dominus fuerit. Huic itaque commodum possessionis concedendum, non spoliato; consequenter spoliatus adversus eum non restituendus. En præstantiam directorii in meditando, quod præbent notiones generales, quas Philosophia Wolfiana suppeditat! Atque huc respexisse Pontificem pro ea, quæ ipsi erat, in rationibus juris ponderandis perspicacia, dubio prorsus caret. Cum enim diserte in c. sape moneat per restitutionis beneficium subveniri spoliato, ne commodo possessionis amisso propter difficultatem probationum juris proprietatis amittat effectum; ipsemet agnoscit in decidenda quæstione, utrum spoliatus restitui debeat adversus b.f. possessorem, totum negotium huc redire, ut æstimetur, penes quem major sit probandæ proprietatis difficultas. At, inquis, c. redintegrandi spoliatum restitui adversus quemcunque tertium possessorem: Ergo & tertium bonæ fidei possessorem. Equidem non nego communem hanc esse opinionem usuque fori comprobata: satis tamen mirari non queo, qui fieri potuerit, ut interpretatio omni fundamento destituta adeo invaluerit. Ipsa enim canonis verba aperte loquuntur, eodem merum Episcoporū privilegium contineri, quod nempe si fuerint spoliati accusari non possint, nec accusati in Synodo spoliatoribus respondere teneantur, antequam omnia sive mobilia, sive immo-

B bilia

bilis in eodem loco, ubi ipsis fuerant erepta, redintegrentur five restituantur. Et sane quoniam canon conditus a JOHANNÉ I. Sec. VI. post GRATIANI Decretum editum circa A. 1150, vim legis accepit; INNOCENTIUS III. vero A. 1216: demum, adeoque ultra dimidium Seculum post, dictam constitutionem in c. sæpe tulit; hæc prorsus superflua fuisset, si c. redintegrandi spoliati restitutio adversus quemcunque, adeoque & mala fidei possessorem data fuisset. Si vero adversus hunc illo canone data non fuit; multo minus data adversus bonæ fidei possessorem; consequenter omnino nihil de restitutione spoliati adversus tertium possessorem canon iste disposuit. Neque antiquis temporibus canonem de restitutione spoliati adversus tertium possessorem acceptum fuisse, luculentissimo exemplo probo. Anno nimirum 1192. dubitatum fuit, utrum rescriptum a COELENSTINO III, cui INNOCENTIUS III. in Pontificatu successit, super celeri reformatione vi usurpatæ possessionis impetratum, extendi possit ad tertium possessorem, propterea quod interdictum unde vi beneficium restitutionis solummodo concedat adversus dejicientem (c). Jam vero quodsi c. redintegrandi illam extensionem continere visus fuisset; vi ejus rescriptum citra omnem dubitationem ad tertium possessorem extendi potuisset, extensumque fuisset. Quare cum id factum non fuerit, ratione dubitandi ab interdicto unde vi petita; palam est restitutionem adversus tertium possessorem isto tempore fuisse rem insolitam, consequenter c. redintegrandi de eadem non acceptum. Dubium motum fuit in causa Ecclesiastica, quod probe notes velim. Exinde enim solvi potest difficultas, quam necit R. P. PICHLER existimans (d): c. sæpe non fuisse superfluum, etsi canon redintegrandi de restitutione spoliati adversus quemcunque pos-

(c) vid. a Costa ad d. capit. p. 329, sic L. II. T. XIII. §. 10.

(d) in summa Jurisprudentiæ Sacræ Univers

fessorem accipiatur: quod scilicet Judices aliqui, quando
 Laici fuerunt spoliati bonis profanis, non indulerint hoc re-
 medium contra alios, quam ipsos spoliantes, ne quidem con-
 tra successores malæ fidei, secuti Jus Civile. Quoniam enim
 illo tempore, quo canon vigorem Legis vix acceperat, in ipsa
 causa Ecclesiastica ratio dubitandi, an restitutio fieri possit
 adversus tertium possessorem, ex interdicto unde vi petita, &
 decisioni Pontificis submissa fuit: ecquis dubitet illo tempore
 c. redintegrandi ultra terminos interdicti unde vi non fuisse ex-
 tensum ullo in casu. Atque ex his simul apparet, vera
 omnino esse illa, quæ de canone isto affirmavi, quod nempe
 merum Episcoporum privilegium contineat. Etenim rescri-
 pta COELESTINI & INNOCENTII III. aperte monstrant
 non canonem istum, sed interdictum unde vi in causis contro-
 versis pro norma fuisse adhibitum. Sunt qui agnoscunt spe-
 ctato jure quidem tenendam esse hanc sententiam, quod res-
 titutio spoliati per c. redintegrandi non competat contra ter-
 tium bonæ fidei possessorem, sed in praxi defendunt standum
 esse Tribunalium consuetudine, qua contraria sententia obti-
 nuerit. Huic recensendi sunt R. R. P. P. SCHMALZGRUEBER
 (e) & PIRHING (f). Enimvero hoc ipso concedunt ex er-
 rore primum sententiam contrariam in fora fuisse introdu-
 ctam. Quare cum CELSUS (g) expresse pronunciet, *quod
 non ratione introductum, sed errore primum, deinde consuetu-
 dine obtentum est, in aliis similibus non obtinere*: ego a vero
 abesse non mihi videor, si statuam consuetudine illa standum
 non esse. LUDOVICUS ENGEL mediam quandam viam
 ingressus est (h): communem enim opinionem eo in casu vo-
 cat duram, quo m. f. possessor restituendus adversus b. f. pos-
 sessorem: magnam tamen æquitatem habere agnoscit, quando

B 2

spo-

(e) in Jure Ecclesiastico Universo Tit. de restitut. spol. n. 21. (f) c. l. T. II. §. 13.
 p. 199. (g) l. 39. ff. de LL. (h) in Collegio Univ. J. Canon. l. II. T.
 XIII. n. 19.

spoliatus summariter de bono jure suo docuerit, & iniquam spoliationem summariter saltem ostenderit. Unde judicem non inique facturum arbitratur, si eo casu communem sententiam, etsi canonibus minime conformem, sequatur. Quodsi vero fundamentum Exceptionis vel maxime reducatur ad æquitatem, ita ut exceptio eo modo institui jubeatur, ut quod æquius est, fiat; illam tamen in favorem bonæ fidei possessoris tertii fieri debere, ita ostendo. Bonæ fidei possessor tertius, cui nulla fuit suspicio spoliæ, culpa omni caret, quod spoliator inique rem spoliatam alienaverit. At vero spoliatus non omni culpa semper vacat, quod se vi dejecti passus fuerit, & fere nunquam vacabit, quod remedio recuperandæ possessionis non ante usus fuerit, quam alienatio facta. Quare cum æquius videatur, ut conditio ejus sit melior, qui omni culpa vacat, quam qui ab eadem non profusus immunis est; Commodum quoque possessionis concedendum potius bonæ fidei possessori, quam spoliato. Quodsi excipias non implicare, ut non minus spoliatus quam bonæ fidei possessor culpa vacet, in promptu est responsio: quod leges disponant de eo, quod fit ut plurimum, casibus rarioribus non attentis (i). Atque ita me evicisse arbitror, si standum sit Jure Canonico, restitutionem spoliati tantummodo fieri posse adversus spoliatorem & tertium malæ, minime autem bonæ fidei possessorem, sed per erroneam interpretationem c. redintegrandi in fora irrepsisse contrariam sententiam. Quodsi vero jam attentius ad animum revocare libuerit omnem illum apparatus, quo in eruendo intellectu canonum usus fuit; ideam animo concipere licet Juris Canonici enucleandi. Patet nimirum quibusnam opus sit principiis, ne a mente canonum aberretur, & quomodo utendum sit istis principiis, ut nos eorum mentem affectos fuisse plene con-

(i) l. 3. ff. de LL.

convicti persuasique simus. Principia nunc ex Historia Ecclesiastica, nunc ex Theologia Scholastico-Pontificia, nunc ex Jure Civili ejusdemque Ætiologia, nunc ex Philosophia interiori petenda sunt. Quamobrem non minus in Jurisprudentia civili ætiologica, & Historia Ecclesiastica, quam in Theologia Scholastica Pontificiorum & Philosophia interiori versatus esse debet, qui Juris Canonici intellectum aliis demonstrare, idemque ad rationes genuinas revocare voluerit. Haud difficile foret exemplis docere, quomodo interpretes hujus Juris defectu unius vel alterius requisiti à mente canonum aberraverint, nisi oculatioribus sufficerent, quæ modo de restitutione spoliati disputavi. Qui principiis ita uti jubetur, ut quæ inde colliguntur mentis aciem evidentiæ fulgore perfringant, is methodi demonstrativæ apprime peritus sit necesse est; ut non modo ea legitime concatenando vim illationis efficiat clariorem, verum etiam eadem a notionibus peregrinis liberet, quæ vim istam attentionem mentis ad se trahendo debilitant. Genuinas sæpe rationes allegant Canonistæ, sed ex tamen scopum minime ferire videntur, propterea quod non decenter evolutæ alienisque immeris nullam vim concludendi habere videntur. Imo in ipsis canonibus rationes subinde in medium afferuntur, quæ interpretibus ridiculæ existimantur, cum tamen per eas optime intelligatur, cur hoc potius quod in canone præcipitur Juris esse debeat, quam contrarium. Nisi enim methodus demonstrativa opem ferat, genuinas rationes a spuris nunquam separabis, nec eam iis tribues evidentiæ, quæ ad convictionem sufficit. Apparet denique ex præsentis exemplo, quod interpres Juris Canonici, si ubique sensum verum eruere, ejusque doctrinam in rem suam vertere voluerit, habere debeat animum ab omni sectæ studio & ab odio in dissidentes prorsus vacuum: alias enim sensum pervertet vel ut habeat, quod reprehendat, vel ut ne desint, quibus hypotheses suas incrustet. Hinc jam intelligitur, qua in enucleando

cleando Jure Canonico usus sim methodo. Nimirum quam optimam jura civilia docendi methodum esse docui (k), & qua in tradendis Institutionibus Justinian. usus sum, eam quoque ad Jus Canonicum applicabo. Ex singulis titulis Decretalium propositiones determinatas, quæ in iisdem latent, eruam, ut notio subjecti contineat ea, per quæ vi principiorum superius commemoratorum colligitur prædicatum; & definitiones, quæ ad eos pertinent, exculpam, ut sint Legibus Logicis consentientes, & præbeant principia jura demonstrandi. Ita enim jura capitulis comprehensa demum bene intelliguntur, ac in futurum usum memoriæ mandabuntur: id quod à cultore Studii Juris Canonici intendi debet, nisi confusus notionibus refertum habere velit animum. Deinde in rationes solerter inquiram, & in ipso textu datas ad trutinam suspendam, ut quantum valeant liquido appareat. Rationes autem ita evolvam per Leges demonstrationis, ut ex notione subjecti legitime inferatur prædicatum, in subsidium vocatis principiis, quibus asserta nituntur. In hisce autem demonstrationibus distinguenda est veritas absoluta propositionis ab hypothetica. Hypotheticam appello, quæ refertur ad mentem Pontificis, & qua propositio admittitur tanquam vera stantibus ipsius hypothesebus, quas tanquam veras supposuit. Absolutam vero nuncupo, quæ refertur ad æquitatem, & ex ipsa rei natura fluit beneficio principiorum rationi & Scripturæ conformium. Subinde utrique locus est, subinde tantummodo hypothetica. Interpres autem Juris Canonici cum non eidem mentem alienam affingere debeat, hypotheticam evincere tenetur, ubi talis tantummodo adfuerit. In hunc censum potissimum veniunt ea omnia, quæ ex hypothesebus Theologiæ Pontificiæ originem suam derivant. Dum vero hoc pacto ad suos fontes

redu-

(k) in peculiari de hoc argumento Programmate.

reducentur singula, quid veritatis, quid æquitatis subfit Juri Canonico palam erit: imo quidnam salva Protestantium doctrina recipi possit vel non admitti debeat in aprico positum erit. Nec difficulter porro adjicietur, quomodo Jus Pontificium sit immutandum, ut cum Principiis Protestantium concordet, ubi ab iisdem dissentit. Quemadmodum enim Pontificium in dogmatis vel ritibus Ecclesiæ Romanæ propriis eo in casu rationem sui agnoscit: ita Jus Ecclesiasticum Protestantium in ejus locum substituendum rationem sufficientem habere debet in principiis Protestantium, quæ hypothesebus Pontificiorum opponuntur. Cæterum quoniam Decretales Pontificum, quemadmodum Constitutiones Imperatorum in Codice Theodosiano & Justiniano quædam facta supponunt, quibus detegendis haud inanem operam dederunt DADINUS ALTESERRA (l) ANTONIUS AUGUSTINUS (m) FRANCISCUS FLORENS (n) & INNOCENTIUS CIRONIUS (o); igitur nec hæc negligam ex Historia Ecclesiastica & Antiquitatibus sacris (p) potissimum petenda, quoniam rationes historicas suggerunt, per quas patet, quam Pontificibus capitulis condendis ansam dederint, unde haud raro elucet, quomodo propositiones ex textu eliciendæ rite determinanda veniant. Ducem elegi JCTum laude omni majorem ALEXANDRUM CHASSANÆUM, BARTHOLOMÆI filium, alias ob eruditos ad ALEXANDRI SEVERI Rescripta Commentarios per celebrem, in Paratitulis Decretalium Gregorii IX. quæ summis harum rerum arbitris DOVIATIO & FLORENTI summopere probata (q), JCTus celeberrimus HOFFMAN-

(l) in Commentariis in libros Clementinarum & Decretales Innocentii III. (m) in Dialogis de emendatione Gratiani, & antiquis Collectionibus Decretalium, (n) in Commentario ad Decretales & variis Tractatibus operum ipsius, cura Doujati Parisii editorum. (o) in libris observationum Juris Canonici. (p) conf. Cel. Dn. Boehmerum in Dissert. prælim. observationibus ad Petrum de Marca præmissa, Floerckium in prænot. Jur. Eccles. §. 16. & Jo. Alphonf. Turretinum in Oratione de multiplici sacrarum antiquitatum usu, Genevæ publice habita. (q) conf. Præfatio Hoffmanni ad Autorem.

MANNUS in Introductione in Jurisprudentiam Canonico-Pontificiam recudi curavit. Concinna enim brevitate potiora, quæ in singulis Decretalium Titulis occurrunt, proposuit. Et quamvis in nonnullis CIRONIO (r) justo brevior videatur, ista tamen brevitatis præsentis instituto non nocebit, cum jura in singulis capitulis contenta ad determinatas propositiones revocaturus, eas quoque adjiciam, quæ ab ipso prætermittæ sunt. Atque ita nullus dubito fore, ut Auditore in ruminandis iis, quæ attenta mente ex discursu meo hausserint, industriam suam desiderari haud passuri, intellectum Juris Canonici penitus assequantur, & ad genuinum ejusdem usum data quacunq; occasione præparentur. Imò spondere audeo, principiis ita imbutos posthac exiguo temporis spatio & sine ullo propemodum labore vasta Canonistarum volumina percurfuros & scorias ab auro haud fallaci successu separaturos. Initium Lectionum fiet h. x. antemerid. d. 6. Octob. Anni currentis MDCCXXXII.

(r) referente Cel. Savvio in Bibliothec. Jur. p. m. 474. §. XVI.



Marburg, Diss., 1731-35

ULB Halle

3

005 359 929





G. 28. num. 11. 79.

JOH. ULRICI CRAMERI,

U. ET PHIL. D. AC IN ACADEMIA MARBURGENSI
PROF. JURIS EXTRAORDINARIUM, 1732, 1.

PROGRAMMA

RESTITUTIONEM
SPOLIATI

ADVERSUS

NONÆ FIDEI POSSESSOREM

VI

NOTIONIS EXCEPTIONIS

ARCENS

ET

JURIS CANONICI INTELLECTUM

INVESTIGANDI AC PERSCRUTANDI MODUM

IDEA QUADAM EXEMPLARI

INSINUANS,


QUO

LECTIONES PRIVATAS
CANONICI

INTIMAT.



MARBURGI CATTORUM,
PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, ACAD. TYPOGR.



B.I.G.

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Farbkarte #13

Inches
Centimetres